

The Electronic *Manipulus florum*
www.manipulusflorum.com

Aduentus Domini a
cum fontibus proximo et primo

Nulla causa ueniendi Christo Domino nisi peccatores saluos facere. Tolle morbos, tolle uulnera et nulla est causa medicine. Venit ergo de celo magnus medicus quia per totum ubique iacebat egrotus. Genus ergo humanum

totum perierat ex quo peccauit unus in quo totum erat.

Ideo uenit unus sine peccato qui saluos faceret omnes sine peccato.

Non enim eum de celo ad terram merita nostra, sed peccata traxerunt.

Augustinus super Iohannem et in glossa I. Timothei I.

Quia christus ihesus uenit etc.

Nulla causa ueniendi fuit christo nisi quod peccatores saluos faceret. Tolle morbos. tolle uulnera et nulla est causa medicine. Sed uenit de celo magnus medicus magnus per totum orbem terre iacebat egrotus. Ipse egrotus genus humanum est. quod

totum perierat ex quo peccauit vnus in quo erat totum.

Sed uenit vnus sine peccato quia saluos faceret a peccato. Venit enim filius hominis querere et saluare quod perierat. uenit per quod homo erat. Nam per quod deus erat. semper hic erat. qui dixit: Celum et terram ego impleo. ergo et in mundo erat et uenit in mundum. Hic erat per diuinam maiestatem. uenit per humanam infirmitatem. Quare uenit? ex misericordia scilicet quia uoluit peccata tollere. peccatores saluos facere. Non enim eum de celo ad terram merita nostra. sed peccata traxerunt.

Glossa ordinaria, liber epistolae primae ad Timotheum, 1.15 (Biblia Latina cum glossa ordinaria, A. Rusch ed., Strassburg, 1480).

Nulla causa fuit ueniendi Christo Domino nisi peccatores saluos facere. Tolle morbos, tolle uulnera et nulla causa est medicinae. Si uenit de caelo magnus medicus, magnus per totum orbem terrae iacebat aegrotus. Ipse aegrotus genus humanum est.

Augustinus Hipponensis, *Sermones in epistolas apostolicas*, 175.1 (CCSL 41Bb, S. Boodts ed., p.526, ll.7-12).

Totum enim perierat; ex quo peccauit unus, ubi erat totum, perierat totum.

Sed uenit unus sine peccato, qui saluos faceret a peccato.

Augustinus Hipponensis, *Sermones in epistolas apostolicas*, 175.1 (CCSL 41Bb, S. Boodts ed., p.527, ll.22-24).

Non eum de caelo ad terras merita nostra bona, sed peccata duxerunt.

Augustinus Hipponensis, *Sermones in epistolas apostolicas*, 174.8 (CCSL 41Bb, S. Boodts ed., p.517, ll.203-204).